

Protoparentum creatio et peccatum.

Léctio libri Génesis

2, 7-9; 3, 1-7

⁷ F ormóavit Dóminus Deus hóminem púlverem de humo et inspirávit in nares eius spiráculum vitæ, et factus est homo in ánimam vivéntem.

⁸ Et plantávit Dóminus Deus paradísum in Eden ad oriéntem, in quo pósuit hóminem, quem formáverat.

⁹ Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescéndum suáve, lignum étiam vitæ in médio paradísi lignúmque sciéntiæ boni et mali.

[10-25]

^{3, 1} Et serpens erat callídior cunctis animántibus agri, quæ fécerat Dóminus Deus.

Qui dixit ad mulíerem:

«Vérène præcépit vobis Deus, ut non comedérétis de omni ligno paradísi?».

² Cui respóndit múlier:

«De fructu lignórum, quæ sunt in paradíso, véscimur;

³ de fructu vero ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus,

ne comedérémus et ne tangerémus illud,

ne moriámur».

⁴ Dixit autem serpens ad mulíerem:

«Nequáquam morte moriémini!

⁵ Scit enim Deus

quod in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri,

et éritis sicut Deus sciéntes bonum et malum».

⁶ Vedit ígitur múlier

quod bonum esset lignum ad vescéndum et pulchrum óculis

et desiderábile esset lignum ad intellegéndum;
et tulit de fructu illíus et comédit
dedítque étiam viro suo secum, qui comédit.

⁷ Et aperti sunt óculi ambórum.
Cumque cognovíssent esse se nudos,
consuérunt fólia ficus
et fecérunt sibi perizómata.

Verbum Dómini.